

gi & communiri, imò alios obumbrare, tegere & protegere. Unde auctor Catenæ Græcorum hunc versum ex Septuag. sic reddit, *opes vero diviti sunt inflar propugnaculi munitaque civitatis: interim gloria & majestas sunt, qua ens plurimum propugnant atque exornant.*

Secundò, *to obumbrat* potest referri ad picturam: pictores enim parva & obscura obumbrant, ut umbræ oppositu magna & clara coloribus clariùs repræsentent, adeoque tota ars pingendi consistit in umbris & coloribus rite miscendis & appositè disponendis, quin & umbra naturalis est corporis imago: unde ab umbris pictores imagines pingere didicerunt. *Umbra hominis lineis circumducta, quam deinde colorare testa trita primus invenit Cleopantus Corinthius*, ait Plinius lib. 35. c. 3.

Tò ergo *obumbrat* significat Primò, opes non esse corpus bonumque solidum, sed umbram dumtaxat fugacem & evanidam. Quid inanius & fugacius umbra? umbra autem sunt opes & pompæ mundi. Secundò, opes sua umbra & specie obumbrare & decipere oculos mentesque hominum. Sicut enim umbræ corporum manè & vespere sunt maximæ, & corpore longè majores: sic species opum longè major est re: ostentant enim quid magnum & beatum, cum nil tale contineant, uti patet moribundis in morte & Beatis in cælo: ibi enim quasi in plena luce & meridie felicitatis, fugantur omnes umbræ opulentæ & felicitatis umbratilis & terrene, juxta illud Cantic. 2. 17. *Donec aspiret dies, & inclinentur umbra.* Quin & Plinius lib. 2. cap. 10. asserit aliud non esse noctem quàm terre umbram. Et mox: *Ergo confinium illis (umbris) est aeris terminus, initiumque ætheris. Supra lunam pura omnia, ac ætterna lucis plena.* Tertio, pictores, ait nolter Salazar, dum quid deprimere volunt, pingunt umbram; dum verò attollere, colorant: adumbratio enim magna deprimat, color parva attollit, q. d. Divis majora bona, id est, spiritualia & æterna, ignorantis vel passionum umbris tegit, & partes alias, nimirum caduca, & temporalia, præclaris coloribus illuminat; propterea hæc altiora, & illa depressiora ipsi videntur. Secus jultus ac pius homo hæc spiritualia bona, quæ per se majora sunt & digniora, colorum ac pigmentorum illuminationibus elevat; item temporalia & caduca, quæ per se minor & leviora sunt, additis umbris contegit ac deprimat.

Mythicè Boda, *Non terrena substantia*, inquit, *semper defendere potest, imò plerique propter divitias sunt capti vel occisi.* Unde & Ecclesiast. cap. 5. ait: *Divitia conservata in malum domini sui: pereunt enim in afflictione pessima. Melius ergo intelligitur substantiam laudare virtutum, quibus quicumque abundat, quasi muro inexpugnabili cunctas hostium arces insidias.* Accedit nolter Alvarez de Paz lib. 4. de Perfectione part. 2. cap. 21. qui per substantiam accipit perfectionem virtutum, quæ hominem contra omnia vitia, demones & mala universa communit & tutatur, causamque assignat: Præsentia, inquit, Domini animam inhabitantis, & eam protegentis, hujus securitatis est causa. At in quo consistit ista securitas? Certè in hoc, quòd perfectus pro suæ vitæ & profectus ratione gravia peccata prostravit, vitia extinxit, inordinatos affectus deiecit, & jam victor rationi & divinæ voluntati subjugavit. Atque in quadam vitæ celsitudine positus, non est cur timeat ea, quæ in imo consistentes inquietant. Hic thesaurizavit thesauros in cælo, id est, in celsissima puritate vitæ, quæ cæli similitudinem gerit quòd fur non appropriat, neque tineæ corrumpit, & ideò nec fures, scilicet adversarios externos, timet; nec tineam, internas videlicet rerum malarum concupiscentias, metuit. Quid enim ille trepidet avaritiæ & rerum temporalium possidendarum bellum, qui pro perfectionis desiderio & paupertatis amore omnia contempsit, & vix ipsum parcissimum victum, & vile indumentum corpusculo necessarium admittit? Quid timeat suæ carnis venenatum sibilum, qui, ut eam spiritus imperio subjecerit, omni asperitatem & afflictionum genere domat, & licita frequenter ei negat, ne illicita concupiscat? Quid horreat propriæ voluntatis occursum, & honorum ac dignitatum appetitum, qui minimam quoque honoris significationem fugit, & in aliquo etiam modico suam voluntatem sequi, ut pestem infestissimam perhorrescit?

VERS. II.

ANTEQUAM CONTERATUR, EXALTATUR COR HOMINIS: ET ANTEQUAM GLORIFICETUR, HUMILIATUR.] Hebr. ante fracturam elevabitur cor viri, & ante gloriam humilitas; Syriac. & Theod. & ante gloriam

mansuetudo; Vatabl. anteit gloriam dejectione, quasi dicat: Superbi humiliantur, & humiles exaltantur. Auctor Catenæ Græc. ex Septuag. sic vertit, *cor hominis non prius exaltatur quàm deprimatur & conteratur, nec prius rursus gloria potitur quàm humiletur.* S. Hieron. epist. 32. legit, *ante gloriam humiliabitur cor viri, & antequam exaltatur.* Hic versus repetitur ex capite 16. versu 18. ubi cum explicui, quibus adde, quendam sic moraliter explicare, quasi dicat: Afflictus & contritus est homo, quia seipsum per superbiam extulit: unde ut à malis liberetur, & ad pristinam prosperitatem redeat, necesse est ut se ipsum humiliet.

Præclarè S. Bernard. serm. 34. in Cantic. *Oportet, inquit, humiliter sentire de se nitentem ad aliora, ne, dum supra se attollitur, cadat à se.* Et paulò post: *Nisi humilitatis merito maxima minimè obtinentur.* Huc facit proverbium Arabum cent. 1. num. 3. *Si nescis ascendere per scalam, non ambulabis super testum*, id est, si non potes te humiliare & subjici duci, neque dux eris. Nam non solent ad dominium promoveri, qui sub aliorum dominio continere se nequeunt; quia nemo rectè dominum agit, qui non ante ministrum gessit, adeò ut servitus via sit ad imperium, non secus ac scala ad tectum.

QUI PRIUS RESPONDET QUAM AUDIAT, STULTUM SE ESSE DEMONSTRAT, ET CONFUSIONEM DIGNUM] quia præter rem de qua interrogatur, impertinenter de alia respondet, aut periculo respondendi se exponit, ut rogatus de fabis de cepis respondeat, ut vulgò dicitur. Hebr. *reddens verbum antequam audiat, stultitia est ei, & ignominia;* Septuag. *impudentia est ei & probrum;* Chald. *confusio;* Vatabl. *pudore & confusione afficitur.* Salomonem secutus Siracides ait Eccli. 1. 8. *Priusquam audias ne respondeas verbum, & in medio sermonum ne adicias loqui*, ubi plenè utriusque gnomen explicui: quare hic jota non addam.

SPIRITUS VIRI SUSTENTAT IMBECILLITATEM (Chald. infirmitatem; Syrus, affectus & propensionem) SUAM: SPIRITUM VERÒ AD IRASCENDUM FACILEM QUIS POTERIT SUSTINERE?] quasi dicat: Nullus, nisi valde patiens & mansuetus, inquit Lyran. *Pro ad irascendam facilem*, hebr. est *מַרְהָבָה* *marhaba*, quod Primò, Theodor. derivans à *מַרְהָבָה* *marhaba*, id est, percussit, vertit, *percussum.* Et spiritum, inquit, *percussum quis portabit eum?* Secundò, alii derivantes à *מַרְהָבָה* *marhaba*, id est, dolere, tristari, infirmari, vertunt, *dolentem, tristem, infirmum;* Syrus, *dolore percussum.* Sept. vertunt, *מַרְהָבָה* *marhaba*, id est, parvi animi, sive pusillanimitatis; Chald. *abjectum;* Quarto, Tigur. *affectum passionibus*, quod Nolter vertit, *facilem ad irascendum;* Quintò alii, *perturbatum, conturbatum, obsecratum*, cui lux gaudii adempta est per tristitiam vel iram. Jam

Primò, Aben Ezra sic explicat, q. d. Spiritus, id est, anima, viri ægritudinem tolerabit, corpusque irrigabit: illa, inquam, quæ sapientiæ possessione referta dolores patienter sustinet: hic enim est vir, qui fortitudine præstans animum à dolore subigi non patitur, sed quæcumque eveniunt hilari animo prudenter excipit: at spiritum *marhaba*, id est, animum dejectum, & dolori iraque succumbentem, ob hujus sæculi inaniam, dum ea obtinere nequit, quis sustinebit? Et R. Levi: Si animus ipse, inquit, ita vexetur morbo, ut succumbat & languescat, quid illum recreabit? nec enim aliquid est, à quo ille reparari queat. Unde & Vatabl. vertit, *spiritus hominis perfert morbum illius: spiritum vero percussum quis feret?* sicque explicat q. d. Spiritus hominis facile perfert morbum corporis, sed morbum spiritus, hoc est, suum, non potest: hoc est, si animus malè habeat, nemo est qui illum sanare possit.

Secundò, Cajetan. sic vertit & explicat: *spiritus viri feret ægritudinem suam, & spiritum contritum quis feret illum?* Sicque explicat: Disparitas inter mala spiritus (mala quasi congenita, seu ab intrinseco nata) & mala equidem ab extrinseco proficiscentia describitur per hoc, quòd illa sunt tolerabilia, ista verò intolerabilia. Assimilans itaque mala ab extrinseco nata, intrinsecis ægritudinibus, dicit, quòd viri spiritus sustinet ægritudines proprias (puta pusillanimitatem, iracundiam præcipitem, & alias hujusmodi animi ægritudines) spiritum verò contritum hujusmodi animi ægritudines & fractum, sed ab alio (hoc est, non solum percussum & fractum, sed iracundiam quasi contritum ignominis, dejectionibus, irri-